



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Cleme[n]tiam Dei esse bonitatis eius argumentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Iustitia, & Veritas Domini manet in æternum; possunt ipsi coeli veterascere, at Dominus idem ipse est, nunquam senescit, nunquam deficit. *Initio tu, Domine, terram fundasti, ait: & opera manuum tuarum sunt cali. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem ipse es, & anni tui non deficient, nec mores tui, sanè suaves, sanè boni, sanè amabiles. O homines, nolite considerare in Principibus, quorum gratia, sæpe cum Sole, occidit; quorum fauor, vt aura vertitur; quorum vultus hodie suavis, & comis, & amicùm aridens, cras plenus truculentia. Deus idem semper est, semper bonus, semper patiens, semper ad ignoscendum paratus; eaque est longanimitate, vt malit parcere, quàm plectere.*

*Diuitias Bonitatis Dei, ait Origenes, ille agnoscere potest, qui considerat, quanta in terris mala quotidie homines gerant, & quomodo penè omnes declinantes & simul inutiles facti, latam & speciosam perditionis ambulant viam. Si quis consideret, quanti in Deum quotidie blasphemant, & in calum extendunt linguas suas. Iam quid de fraudibus, de sacrilegijs & piaculis dicam? Si quis ergo hanc Bonitatem Dei, & sustentationem eius, & patientiam contemnit, ignorat, quòd per hac ad penitentiam prouocatur. Sed vos non dissoluat hoc, & tardos, ad conuersionem faciat: quia rursus patientia eius & sustentationis certa mensura est; non in se, cum sit infinita, sed ratione nostri, quibus certam mensuram posuit peccatorum, vt etiam Iustitiæ eius locus relinquatur. Quòd si faciem eius præoccupemus in confessione; si, dum extendit manum suam, dum vocat, dum annuit, non renuimus, tum bonum, tum benignum experimur. Quemadmodum enim nimbus vitreus balsamo plenus ad balsami effusionem est procliuissimus, ita infinita illa Bonitas, ob ipsam suam perfectionem, ad sui communionem maximè propendet; & quidem, natura suà, diuinis personis se totam communicat; creaturis autem libere se communicat pro captu cuiusque. Hominum culpa est, si se non faciunt, cum diuina gratia, capaces; si fugiunt benefacere cupientem. Nam si faciem eius in confessione præoccuparent, si sua vulnera illi ostenderent; si detegerent calamitates, profectò voluntatem eius ad miseriæ illorum opitulandum incitatissimam reperirent. Vult enim Deus creaturæ miseriæ tollere, vult illi bene esse.*

Psal. 32. 17.  
Psal. 110. 3.  
Psal. 116. 2.  
Pl. 101. 27.

Psal. 145. 3.

I V.

Orig. in c. 2.  
ad Rom.

Eapro